

Saturam quae¹ a plerisque exploditur et dicitur non esse Iuvenalis¹ omnium extremam ordo rerum ac tractatio imperfectam esse satis ostendit, fueruntque qui poetae id factum putarent vel taedio vel morte. quam opinionem cum alios argumentis refutare non meminerim, dicam quod mihi certum visum est. nam in medio fere corpore saturarum codices Pithoeanus et Sangallensis triginta versibus (VII 129—158) quae olim adscripta fuere scholia omittunt. casu aliquo Iahnus ea in communi archetypo intercepta existimavit, ego librorum naturae non video quid sit magis consentaneum quam totum interisse folium. tricenum igitur versuum foliis archetypum compositum puto. iam numera inde a VII 159, ut qui primus fuerit in aliquo folio, versus saturarum reliquos, adice singulos praepositos saturis aliamque ab alia discernentes, praeterea duos quibus quarti libri et quinti exordia indicantur, neve unum illum neglexeris post IX 134 sublatum ab editoribus sed antiquitus traditum, et summam cognosces fieri versuum 2040 folia inplentum 68 sine ulla deductione aut accessione. itaque qui hodie saturis finem facit versus idem extremus fuit in archetypi folio, nec plures ad nos per venerunt ideo quod sequentia codicis folia aut unum saltem perierant.

Lepida Vmbricii sententia III 23 *res hodie minor est here quam fuit, atque eadem cras deteret exiguis aliquid* non potest non deformata esse mendo. nam *eadem* res deterere sibi aliquid absurde dicitur, urbs autem sicuti posse videatur intellegi commemorata in versu superiore, nec pronomini illi vis sua maneat et

¹ Cod. A: *incirpo*.

sententiae retundatur acumen. ignorarunt opinor librarii *cras* pro nomine positum ut *τὴν αὐλοῦ* tam audacter aut paulo etiam audacius quam a Persio *ecce aliud cras egerit hos annos* (Priscianus XVIII § 298) et cum nomen aliud requirerent, *atq. eadem* fecerunt ex *atq. adeo*. quae particula et apte argumento praeponitur graviori et saepe adhibita est ab Iuvenale.

In explicandis saturis quos quidem novi interpretes multa praetermisere, velut ne hoc quidem adnotatum inveni ad III 91, circuitu illo poetam ideo usum esse ut gallus gallinaceus quantum Gallo praestaret semiviro, verborum ludibrio comprehendenderet, turbasque sensi non nullas ex eo commotas esse quod enarrare sensa et dicta emendare non ratum duxerant. cadit hoc in versum eiusdem saturae 281 de quo rectius existimassent si nec sufficere descriptioni illud *mox deinde supinus* — sic enim solemus cubare omnes — nec solitam poetae prosodiam *ergo* referre animadvertisserint. ibi quod est in primo pede vetus vitium cum tollere non potuerim, interim emendabo scholion illis versibus adscriptum aut revocabo potius in suum locum vocabulum inepte extrusum ab editoribus, scholiorum enim bona pars non magis in libris est corrupta quam nuper male intellecta interpunkta ordinata. vere igitur codices *quomodo Achillis mestus fuit pro Patroclo, quando occisus est, sic passibus si neminem ceciderit*, id est *passivus* sic ut ad VII 199 *captibus* pro captivo. vocabulum idem scholiasta posuit ad VIII 182 tanquam par cerdoni et populari, derivatum non a patiendo sed unde *passim* a pandendo in linguam latinam Afri videntur induxisse, exempla eius idonea Hildebrandus Apulei I p. 426 protulit. atque in hermeneumatis Montepessulanis folio 207a (ed. Boucherie Paris. a. 1872 pag. 191) haec leguntur *ἄτακτος immoderatus, ἄτακτος passibus*. ex his hermeneumatis quod fol. 209b p. 198 tradidere *τρεχέδιπνος copidicenus*, qui legunt Iuvenalis III 67 discent usitatus suisse quam antea visum est graecum illud verbum et iure suo veterem interpretem appellasse parasitica licet iuxta nobiscum ignorantem quam partem habitus eo nomine Romani tum denotarint. sumi quidem vestimenta et calcia menta recte utraque dicuntur, ipsum tamen nomen me invitat collique in proximo versu ornamenta ut malim interpretari pedulia. edicti Diocletiani de rerum pretiis titulus extat sic inscriptus *de soleis et gallicis, περὶ σαρδαλίων καὶ τροχαδίων*.

Breviter de alio saturae III versu meam significabo dubitationem. nam versu 54 miror imprudentiam poetae si summas divitias ante oculos positurus ab aureis fluminibus Tagi avertit nos in umbras ac silvas, nec *opaci omnis harena Tagi* ipsum scripsisse arbitror sed *opimi*, quemadmodum *aurea* a Martiale vocatur *divitiae unda Tagi* (X 16). saepe autem librarii in versuum clausulis vocabula similiter incipientia ac diverse desinentia permutarunt (cf. IV 67 VII 80 al.). offendit me etiam versus 308 in quo *sic inde* *huc tamquam* aliud alii obducuntur cumulanturque tenuiter ac moleste et cum adsit quod non requiras, deest illud quo certius definiatur *omnes*. toleranda haec quispiam dixerit in Iuvenale,

nec ei ego restiterim pervicacius. verum una littera adiecta et removere incommoda illa et sententiae augere gravitatem mihi videbar si *sice* legerem vel *sicae* id est sicarii *omnes*. nam frequenter res hic poeta pro hominibus usurpat, buccas gulam fossam abollam pro bucconibus guloso cinaedo philosopho al.

Fr. Buecheler.